



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De clericorum immunitate. Cap. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



homines in eo furore & amentia inhærescere perspicias, abiecta omni cunctatione, iudices quos dixi adito, & hoc idē illis referto, vt illi in hos, sicut corā mādaui, animaduertāt. Dei opt. max. numē te in multos annos cōseruet.

*Exemplar epistolæ Imperatoris, per quam ecclesiarum prefatos, ab omni ciuili & communi Reip. administratione immunes esse mandat.*

*Salue Auiline nobis cum primis obseruande.*

*De clericorum immunitate. CAP. VII.*

**Q**uoniam multis argumentis constat religionem, in qua summus & perfectus cultus sacrosanctæ & cœlesti dei potentie debitus omnino consistit, neglectam & contēptam magna pericula Reip. attulisse, eandemq; sancte augusteq; obseruatam, tum maximam Romano nomini ac splendori prosperitatem, tum eximiam omnibus hominum rebus felicitatem (diuina beneficentia illud largiente) apportasse, visum est vt illi homines, quā debita cum sanctimonia, & assidua legis diuinę obseruatione, sua ministeria huic diuinę religioni excolendæ impertiant, Auiline honoratissime, pro laboribus suis digna premia reportent. Quare eos, qui in prouincia tuæ fidei concredita, in ecclesia catholica, cui Cecilianus preest, huic sanctæ religioni sedulo inseruiunt (quos clericos nominare solent) ab omnibus omnino cōmunibus & ciuilibus Rerumpub. ministeriis immunes ac solutos volo, vt nullo modo per errorem vel per sacrilegam ac profanam prolaptionem, quæ in huiusmodi negotiis accidere solent, à cultu diuinę maiestati debito abstrahantur, sed absque vlla molestia propriæ legi obsequium præstent. Qui quidem cum sacrū numen summo honore & veneratione prosequantur, incredibile est, quantum Rebuspub. adiumenti videantur allaturi. Vale Auiline venerande.

*De secunda Licinii malignitate, & eius morte.*

*CAP. VIII.*

**E**tiusmodi nobis beneficia diuina & cœlestis gratia seruatoris nostri benigne in nos intuentis tandem tribuit? Tanta item bonorum affluentia omnibus hominibus ex pace nobis restituta, suppe-

*Immunitas  
Clericorum*